



Clypevs Theologiæ Thomisticæ

Continens Tractatus de erroribus Pelagianorum, de Gratia, de
Iustificatione & Merito, de Virtutibus Theologicis, & quatuor Cardinalibus,
ac de ineffabili mysterio Incarnationis

Gonet, Jean-Baptiste

Parisiis, 1669

§. I. Quibusdam præmissis, difficultas duplici conclusione resolvitur,

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77342](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77342)

peccato, esset bonum occasionatum, & anima Christi deberet gaudere de peccato nostro, nobisque gratias agere, quod illi dederimus occasionem essendi. Item Deus ordinasset majus bonum, quale est Christus, ad minus bonum, scilicet remedium peccati, quod est inordinate procedere.

65. Sed hæc, ut dixi, facile diluuntur ex principiis supra statutis: Ad primum enim responderetur, occasionatum dupliciter sumi posse, primo prout idem est ac præter intentionem agentis, & à casu, quo sensu mulier appellatur à Philosopho *mas occasionatum*. Et in hoc sensu, non solum Incarnatio, quæ est præcipue intenta à Deo, sed nullum omnino bonum, est occasionatum respectu Dei, cum omnia divina providentiæ & gubernationi subdantur. Secundo potest dici aliquid occasionatum, quia pendet ex aliqua occasione, licet aliunde sit intentum à Deo, & in hoc sensu concedi potest, Incarnationem esse bonum occasionatum: quia tamen *ly occasionatum* proprie tantum primo modo sumitur, ideò absolute negandum est, Incarnationem esse bonum occasionatum.

66. Ad secundum dico, Christum debere gratias agere Deo, non nobis, & gaudere non de peccato nostro, sed de bonitate & misericordia Dei, quæ tantum bonum ex tanto malo tanquam ex occasione produxit: neque enim nos dedimus occasionem essendi Christo, per se, & ex intentione nostra, sed solum per accidens, & ex intentione Dei, qui ex peccato Adami, tanquam ex occasione, Incarnationem Verbi Divini desumere voluit.

67. Ad tertium respondeo quod ordinare majus bonum ad minus, tanquam ad finem qui, vel cujus gratia, est inordinate procedere, non autem ordinare majus bonum ad minus, tanquam ad finem cuiusdam Angeli in Scriptura dicuntur producti & missi in ministerium hominum, & salus rustici dicitur finis cui providentiæ regis, quia bonum rustici resultat ex providentiæ & gubernatione Regis. Demum inferiorum generatio dicitur finis cui mortis cæli, nec tamen propterea est illo perfectior.

ARTICULVS II.

Verum solo existente peccato originali, & contra solis existentibus actualibus, futura esset Incarnatio, ex vi præsentis decreti?

§. I.

Quibusdam præmissis, difficultas duplici conclusione resolvitur.

68. **D**Vo in hujus difficultatis resolutione, ut certa ab omnibus supponuntur. Primum est, Christum venisse in mundum, ad delendum non solum originale peccatum, sed etiam omnia actualia, seu ad exhibendum remedium sufficiens ad omnium peccatorum deletionem. Unde 1. Joan. 2. dicitur: *Ipsa est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi.* Et D. Paulus ad Hebræos 1. ait Christum fecisse purificationem omnium peccatorum. Ratio etiam suffragatur: Nam finis Incarnationis est perducere homines in vitam æternam: At introductio ad regnum cæleste, & vitæ æternæ consecutio, non solum per peccatum originale, sed etiam per peccata actualia impediuntur: Ergo Christus venit, non solum ad delendum peccatum originale, sed

A etiam ad tollenda peccata actualia.

Alterum in quo omnes ferè Authores consentiunt, est quod Incarnatio principalis facta est ad tollendum peccatum originale: Nam ut discitur S. Doctor hic art. 4. ad deletionem illius peccati principalis facta est Incarnatio, quod absolute est majus: At peccatum originale, est absolute majus actuali: Ergo &c. Major est certa, quanto enim peccatum est gravius, eò magis humane adversatur salutem, propter quam Deus est incarnatus. Minor vero probatur. Peccatum actuale, licet intensius majus sit peccato originali, cum plus habeat de voluntario, tamen ex se solum inficit singularem personam, non verò totam naturam, sicut peccatum originale: At peccatum quod de se inficit totam naturam, absolute majus est eo quod de se solum inficit singularem personam; ut enim docet Aristoteles 1. Ethic. cap. 2. bonum gentis divinus & præstantius est, quam bonum particulare: Ergo peccatum originale est absolute majus actuali.

Confirmatur: Ad illud peccatum tollendum principalis venit Christus, ex quo major oritur miseria, & minus voluntaria: Sed ex peccato originali, major oritur miseria, nam ferè omnia peccata actualia ex originali, ut ex causa & fonte ortum habent; ex eo etiam oriuntur penales hujus vitæ, ut mors, ægritudines, ignorantia, concupiscentia &c. Item per peccatum originale, janua cælorum ita clausa erat, ut quantumcumque aliquis esset justus & sanctus, nunquam tamen posset ad Dei visionem pervenire, donec Deo exhibita fuisset condigna & rigorosa satisfactio pro tali peccato, quod etiam est minus voluntarium quam cætera peccata actualia, quia non contrahitur voluntate propria, sed tantum voluntate primi parentis, in quo tanquam in capite voluntates cæterorum hominum continentur: Ergo Christus principalis venit ad tollendum peccatum originale. His præmissis.

Circa propositam difficultatem triplex versatur sententia. Prima est Medina hic art. 4. & Valentia quæst. 1. puncto 6. asserentium, quod existente solo originali peccato, atque etiam existentibus solis actualibus, Christus venisset, ex vi præsentis decreti. Secunda est Cabrera & Nazarij, aliorumque, qui dicunt existente solo originali peccato, vel solis existentibus actualibus, Incarnationem, ex vi præsentis decreti, non fuisse futuram. Tertia verò, quæ in schola Thomistarum communior est, asserit Christum venturum ex vi præsentis decreti, solo existente peccato originali, non verò solis existentibus actualibus. Unde

Dico primò: Solo existente peccato originali, venisset Christus, ex vi præsentis decreti.

Probatur primò: Prima & principalis Incarnationis Dominicæ occasio, fuit peccatum Adami derivatum in omnes posteros, ut patet ex dictis articulo præcedenti: unde ipsemet Christus, qui ad illud delendum missus est, vocatur à D. Paulo secundus Adam, & de culpa Adami, non verò de actualibus aliorum hominum peccatis, canit Ecclesia in benedictione cerei paschalis: *O verè necessarium Ade peccatum, quod Christi morte deletum est! O felix culpa quæ talem ac tantum meruit habere Redemptorem!* Ergo solo originali peccato existente, Christus venisset, ex vi præsentis decreti.

Confirmatur: Daniel. 9. ubi Incarnatio prædicitur futura, fit mentio solius originalis peccati delendi, nam Archangelus Gabriël, ipsum Daniël de tempore adventus Christi instruens, sic ait:

§. II.

Solvuntur objectiones.

Septuaginta Hebdomades abbreviata sunt super A
populum tuum, & super urbem sanctam tuam, ut
consummetur pravaricatio, & finem accipiat pec-
catum, & deleatur iniquitas. Quo loco, de pec-
cato originali loqui Archangelus, testantur Inter-
pretes. Et de hoc etiam loquitur Deus Isaie 53.
dum ait: *Propter scelus populi mei percussus sum, &
propter ulcus quod erat in eis, ut ex Hebræo qui-
dam legunt. Ulcus autem vulnus antiquum est,
quod proinde in nobis rectè significat peccatum
originale, propter quod delendum Filius Dei ve-
nit in mundum. Unde Joan. 1. de Christo dicitur:
Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi.*
Quod exponens Glossa ordinaria, desumpta ex
Beda, ait: *Peccatum mundi dicitur originale pec-
catum, quod est commune totius mundi. Nec ob-
stat quod in aliquibus versionibus legatur in plu-
rali, peccata mundi, nam peccatum originale,
cum virtualiter multiplex sit, & radix aliorum
peccatorum, potest in plurali vocari peccata, ut
patet ex Psalmo 50. ubi Propheta Regius ait: Ec-
ce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in pec-
catis concepit me mater mea. Ubi peccatum origi-
nale, quod à matre acceperat, vocat iniquita-
tes, & peccata, quia omnia alia peccata, quæ
per totam vitam perpetraverat, in illo virtua-
liter continebantur, & ab illo ut à causa & radice
pullulabant.*

74. Probatur secundò conclusio: Deus statuit in
tempore carnem sumere, ut totam naturam quæ
in Adamo perierat restauraret: At etsi nullum
aliud præter originale peccatum fuisset, tota na-
tura eodem modo perisset, & à jure gloriæ cæ-
lestis excidisset: Ergo ad eam sublevandam Chri-
stus venisset. Major constat ex supra dictis: Mi-
nor etiam videtur certa, peccatum enim origina-
le est peccatum totius naturæ, & inficit omnes
homines, ex Adamo per seminalem propagatio-
nem descendentes, atque illis claudit januam
regni cælestis, ut in Tractatu de peccatis osten-
dimus: Ergo etsi nullum aliud præter originale
peccatum fuisset, totum genus humanum periis-
set, & à jure gloriæ cælestis excidisset.

Diff. 7.
art. 4.

75. Dico secundò: Solis peccatis actualibus exi-
stentibus, non venisset Christus, ex vi præsentis
decreti.

Conclusio hæc constat ex dictis circa præceden-
tem, si enim liberatio à peccato originali sit pri-
marium & principale motivum Incarnationis, eo
non existente, Christus non venisset, ex vi præ-
sentis decreti; cessante enim fine primario & prin-
cipali alicujus operationis, ipsa operatio cessat.

76. Confirmatur primò: Una ex rationibus, quæ
juxta SS. Patres specialiter Deum moverunt, ut
potius homini quam Angelo peccanti, per Incar-
nationem subveniret, fuit quia per peccatum pri-
mi hominis, tota natura perierat, & à jure gloriæ
cælestis exciderat, peccatum verò Angelorum,
solis Angelis peccantibus, non verò toti naturæ
angelicæ detrimentum attulerat: Sed hæc ratio
cessaret, deficiente peccato originali: Ergo illo
non existente, Verbum Divinum non venisset.

77. Confirmatur secundò: Ex vi decreti præsen-
tis, Verbum Divinum venit in carne passibili &
mortali, ut articulo præcedenti ostendimus: Sed
peccato originali non existente, caro non fuisset
passibilis & mortalis, nam ut ait Apostolus ad
Roman. 5. *Per unum hominem peccatum in hunc
mundum intravit, & per peccatum mors:* Ergo
peccato originali non existente, non venisset
Christus, ex vi præsentis decreti.

Tom. IV.

78. Obijcies primò contra primam conclusio-
nem: Deficiente integrâ ratione motivâ di-
vinæ voluntatis & decreti, debet etiam cessare
effectus qui ex illo cõsequitur: Atqui non existen-
tibus peccatis actualibus, deficeret ratio totalis,
quæ Deum movit ad decernendam Incarnatio-
nem: Ergo illis sublaris, & solo originali existen-
te, Christus non venisset, ex vi præsentis decreti.
Major constat, Minor probatur. Totale moti-
vum Incarnationis ab æterno decretæ, fuit libera-
tio hominum ab omni peccato, tam originali,
quàm actuali; ut enim dicebamus initio hujus ar-
ticuli, Christus venit non solum ad delendum pec-
catum originale, sed etiam ad tollenda peccata
actualia: Ergo liberatio à solo peccato originali,
non fuit integrum & totale motivum Incarnatio-
nis, atque adeò ipso solo existente, deficeret ratio
totalis quæ Deum movit ad mittendum Filium
suum in mundum.

79. Confirmatur: Omnia peccata actualia in gene-
re causæ materialis destruendæ, prævisa fuere an-
te decretum Incarnationis: Ergo simul cum ori-
ginali composuerunt totalem & integram causam
seu rationem motivam decreti Incarnationis.

80. Ad objectionem respondeo, concessâ Majori,
negando Minorem, ad cujus probationem, distin-
guo Antecedens: Totale motivum decreti Incar-
nationis fuit liberatio non solum à peccato origi-
nali, sed etiam à peccatis actualibus, prout ad
originale tanquam ad fontem & radicem reduce-
bantur, concedo Antecedens; à peccatis actualibus
seorsim consideratis & independentè ab origina-
li, nego Antecedens, & Consequentiam. Dici-
mus ergo totale quidem & sufficiens motivum
Incarnationis, fuisse reparationem totius naturæ
peccato originali infectæ, sed quia Christus in-
numera diluit crimina, quæ ex illo peccato ut ex
radice procedebant, veluti consequenter & secun-
dario, ad satisfaciendum etiam pro illis Incarna-
tio Verbi Divini ordinata est. Unde dici potest, li-
berationem ab originali peccato fuisse totalem
rationem motivam Incarnationis; liberationem
verò à peccatis actualibus, fuisse illius causam
quodammodo impulsivam. Exemplum est in Sa-
muële, qui ex speciali Dei jussu venit Bethleem
ad ungendum David in Regem, tanquam pro-
pter finem primarium ac præcipuum, quo adept-
o non venisset; habuit tamen aliud motivum
impulsivum, scilicet offerendi Deo sacrificium,
ut colligitur ex primi Regum 16. Aliud exemplum
est in Medico, qui ad suum amicum alicujus ne-
gotij pertractandi causâ venire disponens, & iter
aggrediens, audit filium ejus gravi aliquo morbo
detineri, & ideò promptiori animo ad amicum
pergit, ut ejus filium visitet, & curet: ejus enim
causâ motiva sine qua non conveniret amicum,
est negotium pertractandum; at verò causâ impul-
siva est curatio filij, sine qua absolute amicum
conveniret, sed non cum eadem animi prompti-
tudine.

81. Ad confirmationem, concessâ Antecedente, ne-
go Consequentiam, quia, ut jam diximus, libe-
ratio hominum à peccatis actualibus, non perti-
nebat per se & primario ad motivum Incarnatio-
nis, sed tantum secundario & ex consequenti, in-
quantum hujusmodi peccata reducebantur ad ori-
ginale, à quo tanquam à radice pullulabant.

LII ij